



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

60. An Cardinales possint recipere resignationes beneficiorum existentium
in suis titulis. Et an hoc extendatur ad Cardinales habentes
Archiepiscopatum, Abbatias, vel Prioratus in Commendam ex ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

Et notatur Cardinalem habentem facultatem conferendi beneficia reservata, & in alium substituendi posse substitutum dicta beneficia conferre, sicut potest Cardinalis. Ex part. 5. tract. 2. Ref. 26.

§. 1. **Q**uoad primum, respondeo à Cardinali simul cum Capitulo providenda esse. Ita Gonzales ad Reg. 8. Cancell. gloss. 24. a nu. 52. qui n. 61. dubitat an idem dicendum sit in beneficijs simultaneæ collationis aliàs reservatis, ad quorum provisionem Cardinalis Episcopus indultum à Pontifice obtinet, & affirmative respondet, quia indultum non ampliat facultatem conferendi, sed solum remouet obstaculum reservationis, qua remota Cardinalis iure ordinario prouidet; sed in provisione ordinaria Capitulum concurrat, vt suppono, ergo supposito hoc indulto concurrere debet.

2. Verùm mihi contraria sententia magis placet, quam tuetur Garzias de benef. p. 5. c. 1. n. 628. scilicet solum Cardinalem virtute indulti beneficia aliàs reservata prouidere posse, & non Capitulum, quia virtute indulti non cessat reservatio, esto in ea dispensatur. Reservatio namque horum beneficiorum est lex omnes Cardinales astringens, à cuius legis obligatione Cardinales priuilegiati eximuntur: eximuntur, inquam, vi priuilegij manente reservatione, sicuti cum tempore interdicti conceditur tibi potestas audiendi Sacrum ob priuilegium Bullæ, priuilegium inquam, Bullæ non tollit interdictum, sed illo manente tibi facultatem concedit Sacrum audiendi, ac si interdictum non esset, sic in hoc indulto prouidendi beneficia reservata; perseverante enim reservatione concedit indultum Cardinalibus facultatem prouidendi beneficia ac si reservatio non esset. Ex quo fit Cardinales non iure ordinario, sed virtute indulti, vt à Sede Apostolica delegationem hæc beneficia prouidere, ergo, &c. Et ita hanc sententiam docet etiam Castr. Palauus tom. 2. tr. 13. disp. 2. punct. 22. §. 4. n. 4. Sed circa præsentem quæstionem vide etiam Massobrius in praxi habendi concur. pral. 26. dub. 35.

3. Notandum est etiam hic obiter Cardinalem habentem facultatem conferendi beneficia reservata, & in alium substituendi, posse substitutum dicta beneficia conferre, sicut potest Cardinalis. Ita Rota Romana coram R. P. D. Vbaldo in vna V. l. spon. 20. Junij 1614. apud posthumas Farinacij tom. 1. decis. 595 num. 1.

RESOL. LVII.

An Cardinalis possit in curia conferre sine consensu Parochialem Ecclesiam, qua vacauit in sua Diocesi?
Ex part. 5. tr. 2. Ref. 42.

§. 1. **R**espondeo posse, dummodo ille, cui conferatur, fuerit examinatus ab examinatioibus deputatis à Papa, vel eius Vicario. Dispositionem verò sacri Concilij Trid. c. 18. de reform. sess. 14. ibi. etiam si ipsa Parochialis reservata, &c. etiam vigore Indulti S. R. E. Cardinal. putat habere locum circa Indulta extraordinaria duntaxat, vel nisi Indulta sint extraordinaria, nimirum circa ea beneficia, quorum collationes spectant ad Cardinales ratione alicuius Abbatiæ, vel dignitatis, quas possident in aliena Diocesi, non autem circa Indulta ordinaria. & ita docet Germonius tract. de Indul. cur. §. quibusuis, n. 9. & post illum Massobrius in praxi habendi concur. requis. 7. dub. 42. qui pro hac firmata sententia adducunt multas rationes.

RESOL. LVIII.

An Vicarius Cardinalis habens facultatem conferendi beneficia possit illa conferre extra Diocesim, quia de Cardinalibus non est difficultas? Ex p. 5. tr. 2. Ref. 43.

§. 1. **D**E Cardinalibus non est difficultas, quia Ordinarius potest extra territorium exercere ea, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, & causæ cognitionem non requiritur, ex l. 2. ff. de officio Procons. & Legat. & ex gl. in cap. nouit, de officio Legat. & latè Iafon in l. extra territorium, ff. de iurid. extra territorium, seu Diocesim posse conferre beneficia. Est igitur quæstio, si Cardinalis Vicario generali suo dederit facultatem conferendi beneficia, an possit idem Vicarius conferre extra Diocesim? & post multa Germonius tract. de Indul. §. tibi, num. 85. in affirmatiuam sententiam transit.

2. Verùm Massobrius in praxi habendi concur. pral. 26. dub. 5. num. 6. distinguendum putat, ait enim, aut Cardinalis qui habet indultum, reperitur in Rom. Cur. aut etiam est absens à Curia, & Diocesi, sed cum licentia Papæ, & sic poterit eius Vicarius etiam extra Diocesim conferre. Aut est absens sine licentia, & tunc nequaquam poterit Vicarius conferre, ex prædictis, quia Cardinalis non potuisset id ei dare, nemo enim dat quod non habet c. cum Daibertum l. b. 7. facit. c. nemo 79. de reg. iur. in 6.

RESOL. LIX.

An Cardinales possint conferre beneficia Episcopatum à se resignatorum, etiam post praeconizationem resignatary, si nondum tamen fuerit adeptus possessionem?
Ex part. 5. tract. 2. Ref. 44.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docet Germonius de Indul. Cardin. §. nec non quarumvis num. 22. nam qui resignauit Episcopatum in fauorem alicuius, est adhuc eius dominus, vt possit conferre beneficia tum ratione indulti, tum potestate ordinaria, quia adhuc in possessionem est; & quamquam dicatur per resignationem esse priuatum, intelligi tamen debet de possessione iuris, quæ perdit, non tamen possessione naturali, cui potest incumbere, donec sciat præfatam resignationem habuisse effectum, vt censet Innocent ad c. qui in dubijs, de rer. permitt. & captam esse possessionem. Vnde Gomezius ad reg. de publ. g. 15. scribit eandem regulam non habere locum nisi tribus concurrentibus, videlicet quod resignatio non fuerit publicata, possessio petita, & quod resignans decesserit, in possessione, & Puteus decis. 337. nu. 2. lib. 3. ait, quod tunc resignatarius dicitur etuuliter & naturaliter possidere, quando est apprehensa possessio, & in decis. 158. nu. 3. eodem lib. 3. quod cum sit resignatio in fauorem certæ personæ ante apprehensionem, seu acquisitionem, resignans dicitur etiam possidere, & titulum coloratum habere. Hæc Germonius, cuius sententiam sequitur etiam Massobrius in praxi habendi concur. pral. 25. dub. 6. num. 6.

RESOL. LX.

An Cardinales possint recipere resignationes beneficiorum existentium in suis titulis;
Et an hoc extendatur ad Cardinales habentes Archiepiscopatum, Abbatis, vel Prioratus in Commendam, ex dispensatione?

Et

Et an Cardinales renunciantes Episcopatu retineant facultatem conferendi beneficia in mensibus Papæ ex eius indulto? Ex part. 5. tr. 2. Ref. 14.

§. 1. **H**anc quæstionem doctè pertractat Flaminus Parisius de resignat. benef. lib. 7. q. 12. per totam, vbi n. 8. docet Cardinales posse recipere resignationes beneficiorum existentium in suo titulo, quia possunt conferre, vt dictum est supra, illa beneficia, & possunt destituere beneficiatos, quod ius cõpetit eis ratione titularum, vt etiam tradit Mandosius in reg. 7. Cancell. q. 1. n. 5. vbi plures alios allegat. & hanc etiam opinionem docet Barbosa collect. in Cod. tom. 1. lib. 1. tit. 33. c. 11. n. 3. Et hanc opinionem Parisius vbi supr. n. 22. extendit ad Cardinales habentes Archiepiscopatum, Episcopatum, Abbatias, vel Prioratus in commendam ex dispensatione Papæ: possunt enim recipere resignationes beneficiorum ratione Archiepiscopatus, Episcopatus, &c. nam si possunt conferre beneficia vacantia ratione Archiepiscopatus, Episcopatus, &c. poterunt etiam resignationes recipere,

2. Nota hîc etiam Cardinales renunciantes Episcopatu retinere facultatem conferendi beneficia in mensibus Papæ, ex eius indulto, vt docet Parisius num. 23. qui etiam num. 27. rectè notat, Cardinales, qui habent indulta in Episcopatus renunciatis etiam si resignatio beneficii fuerit facta coram Episcopo in mensibus, in quibus ipsi habebant potestatem conferendi, posse etiam ad illos spectare beneficium resignatum in manibus Episcopi conferre, & ratio est clara, quia si renunciatio fiat coram Episcopo in mensibus Papæ referuatis, collatio, hoc non obstante, spectat ad Papam, & non ad Episcopum recipientem ipsam resignationem; ergo etiam in casu nostro debet spectare ad Cardinales, qui per indultum loco Papæ successerunt. Et ita etiam tenuit in causa inter Cardinalem Urbini, & Archiepiscopum consulendo, Gabriel. lib. 1. conf. 187.

RESOL. LXI.

An familiares Cardinalium in absentia gaudeant fructibus suorum beneficiorum? Ex p. 5. tr. 2. Ref. 79.

§. 2. **R**espondeo affirmatiuè cum Cucchio in Instit. Canon. lib. 2. tit. 4. n. 69. vbi sic ait. Cardinales possunt suorum beneficiorum fructus, etiam dum ab eis absent, in Curia Romana existentes percipere, quia Romana Ecclesiæ, quæ cæterarum omnium est mater, deseruientes, alijs quoque Ecclesijs seruire videntur, & in suis beneficijs residere, quod etiam de familiaribus eorum traditum est, cum & ipsi eadem ratione, eisdem priuilegijs perfrui debeant. Ita ille, & ante illum Laudens. tract. de Cardin. q. 69. vbi citat per hoc sententia Ioannem Andream, & Burtium e. cum dilectus, de cler. non resid. & hanc etiam sententiam docet Albanus de Cardinalibus q. 42. priuileg. 6. & alij penes ipsam.

RESOL. LXII.

An Cardinales, quando Patroni sunt discordes, possint prouidere Ecclesijs iuris Patronatus? Ex part. 5. tr. 2. Refol. 94.

§. 1. **V**idetur negatiuè respondendum, quia hoc, vt obseruat Lessius lib. 2. c. 34. dub. 6. n. 27. & alij committer, competit Episcopis, ex cap. si Tom. 1. X.

verò, & e. quoniam in quibusdam, de iure patron. Sed ex hac ratione probatur posse Cardinales hoc officere, quia vt supra probatum est satis, Cardinales in suis titulis habent plenum ius Episcopale. Vnde Cardinalis in Clem. ne Romani, §. irritum, q. 3. dicit, quod tituli Cardinalium æquiparantur Ecclesijs Episcopalis, & sic habent iura Episcopalia, & e. conuenerunt de officio Ordin. & consequenter possunt conferre beneficia suis titulis subiecta, vt supra dictum est: & ideo ad casum propositum affirmatiuam sententiam ex rationibus adductis tenet Vinc. Grilenzon. conf. 63. n. 9. asserens quod quando patroni discordant in presentando, sicut Episcopi, ita & Cardinales prouident Ecclesijs.

*Sapienter sup. in Resolutionibus. quæ hic sunt supra 38. 39. 40. 41. & in alijs. *Sup. in Resolutionibus, quæ hic sunt supra 32. 33. & 34. & aliquid in Ref. 55. 56. & 57.

RESOL. LXIII.

An Cardinales in Ecclesijs titularibus possint cognoscere causas clericorum præsertim criminales? Et quid est dicendum, si clericus aliquis sit depositione dignus, an Cardinalis debet sententiam ferre, actum tamen degradationis Episcopo committere? Ex p. 5. tr. 2. Ref. 7.

§. 1. **N**egatiuam sententiam docet Mandosius in regul. 7. Cancell. q. 2. n. 7. vbi testatur Cardinales in Ecclesijs suorum Titulorum non tantum iurisdictionem habere vt possint causas ciuiles & criminales cognoscere, ac iudicare, nisi priuilegijs Pontificijs id faciant.

2. Sed alij affirmatiuam sententiam tenent ex his, quæ asserit Lotherius de benef. tom. 1. lib. 1. quaest. 8. n. 50. & Grilenzonius conf. 63. per totum. Layman in Theolog. moral. lib. 1. tract. 4. c. 7. §. 7. n. 28. vbi ex Abbate & alijs firmant Cardinales in suis Titulis habere iurisdictionem Ecclesiasticam, & alia exercere, quæ Episcopalis iurisdictionis sunt, & Probus ad Ioannem Menochium in cap. 1. num. 2. de maior. & obediens. testatur Papam sibi hoc dixisse. Verum inuenio hanc quæstionem in terminis tractare Anastasium Germonium tract. de Indult. Cardin. §. tam ratione, num. 34. vbi tenet Cardinalem non Episcopum de causa criminali posse cognoscere, & si Clericus erit depositione dignus, sententiam ferre, actum tamen degradationis Episcopo committere debere, cum hoc sit Ordinis. Et ideo Rota coram Aldobrandino dixit, Cardinales quoad iurisdictionalia habere iura Episcopalia, part. 1. decis. 233. n. 19. in Decis. dictionum Auditorum.

RESOL. LXIV.

An Cardinales possint habere priuatum carcerem ad suos familiares coercendos?

Et an familiares Cardinalium ex consuetudine remittantur ad ipsos Cardinales, & ipsi Domini Cardinales sint eorum indices competentes, ita vt Vicarius Papa dictos familiares non indicet, sed eos remittat suo Cardinali?

Et an Cardinales possint habere familiam armatam?

Et an, qui alium cepit ex iusta causa, possit illum detinere spatium 20. horarum, & ipsum captum iudici presentare?

Et quid, si illum detinet non ex iusta causa, qua pena puniri debet? Ex part. 5. tractat. 2. Resolut. 25.

§. 1. **L**iber huic dubio respondere eum verbis insignis Criminalistæ Iul. Clari in praxi lib. 5. §. final. L 1 2 quaest. 66.

Sup. hoc fit per n. Ref. 56. & Nec ablat. prope hinc. vbi. quo ad non potestatem.

NATI
TRIUMPH
X
III